

»nes ad corrupta hominum iudicia infestentes, ac tem-
»perantes, licere, docuerunt, (k) Vir Equestri duellum
»acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat; (l)
»stas esse defensionem occisiva, vel ipsi Clericis, ac Reli-
»giosis, tueri honorem, dum alia declinando calumnia via-
»nam suppetat; (m) propulsare damna que ex iniqua Ju-
»dicis sententia certo imminet; (n) Defendere non so-
»lum, que possidemus, sed etiam ea, ad que jus inchoatum
»habemus, dum alia via id assequi non valeamus; Quas
»quidem assertiones duellis faventes, Apostolica Sedes
»censura notavit, rejectit, proscripsit.

»Et nihilominus extiterunt quam proxime recentio-
»res alii, qui etsi duella, vel odii, vel vindicta, vel
»honoris tuendi causa, vel levioris momenti res, for-
»tunasque servandi, farentur illicita; aliis, tamen in
»circumstantiis, & casibus, vel amittendi officii, & sus-
»tentionis, vel denegate sibi a Magistratu justitia,
»defensionis innocue titulo, ea licere pronuntiant. La-
»sas, & periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vul-
»gatis eorum libris ad nos delatas, ubi primum acce-
»pimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fra-
»tribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & quibusdam di-
»lectis Filiis Sacrae Theologiae Ministris specialiter ad id
»per nos Deputatis, commissimus; qui re mature discus-
»sa, latis coram Nobis tum voce, tum scripto suffragiis,
»infrascriptas propositiones censura, & proscriptione
»dignas existimantur.

PRIMA PROPOSITIO.

»Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum,
»tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad offi-
»cia militaria ineptus habetur, indeque officio, quo
»se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, aliis
»sibi debita, ac promerita, spe perpetuo carere debe-
»ret, culpa, & poena vacaret, siye offerat, siye accep-
»tet duellum.

II.

»Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel hu-
»manae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptan-
»tes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pug-
»nam non esse securam, utpote ab aliis impediendam.

III.

»Non incurrit ecclesiasticas penas ab ecclesia con-
»tra duellantes latis, dux, vel officialis militie, accep-
»tans duellum, ex gravi metu amissionis fame, & officii.

IV.

»Licetum est, in statu hominis naturali acceptare, &
»offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas,
»quando alio remedio, jactura propulsari nequit.

V.

»Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam
»potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum,
»vel negligentia, vel malicia Magistratus, justitia aper-
»te denegatur.

»Auditis itaque, super unaquaque earum propositio-
»num, dictorum Cardinalium, & Consultorum iudiciis,
»atque omnibus rite, & mature consideratis, Nos ipsas,
»presertim literarum tenore, & apostolica auctorita-
»te, tamquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejici-
»mus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque
»illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit,
»ediderit, aut de his, etiam disputandi gratia, publice,
»aut privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ip-
»so facto incidat in excommunicationem, a qua non pos-
»sit (praeferquam in mortis articulo) ab alio, quacum-
»que etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tem-
»pore Romano Pontifice absolvi.

»Insuper districte, in virtute Sanctae Obedientiae, &

(k) 2. Propos. damnata ab Alexandro VII.
(l) Propos. 17. ex damnatis ab eodem.

»sub interminatione divini iudicii, prohibemus omnibus
»Christifidelibus cujuscumque conditionis, & status,
»etiam specialiter, & specialissima nota dignis, ne pre-
»dictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad proximum de-
»ducant.

»Jam vero ut exitiosam duellorum licentiam in chris-
»tiana, ac praesertim militari republica, non obstantibus
»provisis legibus à plerisque etiam Secularibus Princi-
»pibus, & Potestatibus ad eandem extirpandam lauda-
»biliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coer-
»ceamus, gravissimumque scelus apostolicae districtio-
»nis gladio magis, magisque insequamur, omnes, & sin-
/>gulas dictorum Romanorum Pontificum Praedecesso-
/>rum nostrorum constitutiones superius enuntiatas, qua-
/>rum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum in-
/>sertae forent, pro sufficientibus expressis haberi volumus,
/>apostolica auctoritate confirmantes, & innovantes, ad
/>hoc ut poenam gravitatis, & severitatis majorem perdi-
/>ctis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro motu
/>proprio, ac de apostolica auctoritate plenitudine ea-
/>rundem praesentium literarum serie, statuimus, atque
/>decernimus, ut si quis in duello, siye publice, siye
/>privatim indicto, hominem occiderit, siye hic mortuus
/>fuerit in loco conflictus, siye extra illum ex vulnere in
/>duello accepto, hujusmodi homicida, tamquam inter-
/>ficiens proximum suum animo praemeditato, ac delibe-
/>rato, ad formam constitutionis felicis recordationis
/>praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII. quae incipit
/>»Ex quo divina, data vi. Idus Junii anno Domini
/>»MDCXXV. ab ecclesiastica Immunitatis beneficio exclu-
/>sus, & repulsus omnino censetur; ita ut à cujuscum-
/>que sacri, aut religiosi loci asylo, ad quod confu-
/>gerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, &
/>Judicis competentis Curiae pro merito puniendus, tra-
/>ndi possit, ac debeat: Super quo Nos Episcopi, aliis-
/>que Superioribus Antistitibus, ad quos respective per-
/>tinet, & pertinere impostum, necessarias, & op-
/>portunas facultates praesentium quoque tenore imper-
/>timur. Quin etiam vivente adhuc altero in singulari
/>certamine graviter vulnerato, si percussor in locum
/>immunem se receperit, ex quo eveniente illius morte,
/>fugam arripere, & legum severitatem evadere posse
/>prospiciatur; Volumus, & respective permitimus, ut
/>quatenus periti ad inspicendum vulnus asciti grave vi-
/>tae periculum adesse retulerint, percussor ipse, prae-
/>vio semper decreto Episcopi, & cum assistentia personae
/>ecclesiasticae ab eodem Episcopo deputatae, ab hujus-
/>modi loco immuni extrahatur, sine mora carceribus man-
/>cipetur; Ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum ec-
/>clesiae restituere debeant, si vulneratus superstes vivat
/>ultra tempus à legibus, quae de homicidio sunt, con-
/>stitutum, alioquin in easdem penas, incidant, quae in
/>memoratis Benedicti XIII. Literis constitutae sunt ad-
/>versus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibi-
/>dem expressis, ex iudicis ad id sufficientibus sibi tra-
/>ditum restituere recusent, postquam is in suis defen-
/>sionibus hujusmodi indicia dilaverit.

»Praeterea, simili motu, & auctoritate decernimus,
/>vac declaramus, sepulturae sacrae privationem à sacro-
/>sancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in lo-
/>co duelli, & conflictus incurrendam perpetuo fore, etiam
/>ante sententiam Judicis, à decedente quoque extra lo-
/>cum conflictus ex vulnere ibidem accepto, siye duellum
/>publice, siye privatim indictum fuerit, ac etiamsi vul-
/>neratus ante mortem non incerta poenitentiae signa de-
/>xiderit, atque à peccatis, & censuris absolutionem obti-
/>nerit; sublata Episcopis, & Ordinariis locorum super
/>haec poena interpretandi, ac dispensandi facultate, quo-
/>ceteris documentum praebatur fugiendi sceleris, ac
/>debitam ecclesiae legibus obedientiam praestandi.

»In hujus demum sollicitudinis nostrae societatem vo-
/>cantes carissimos in Christo Filios nostros, Imperato-
/>rem electum, cunctosque Catholicos Reges, nec non
/>Principes, Magistratus, militie Duces, atque Praefec-

(m) Propos. 18. ab eodem damnata.
(n) Propos. 32. ex damnatis ab Innocentio XI.

»tos, eos omnes, & singulos, pro sua in Deum religio-
/>ne, ac pietate enixe obtestamur in Domino, ut con-
/>junctis studiis & animis, exitiosae duellorum licentiae,
/>qua regnorum tranquillitas, populorum securitas at-
/>que incolumitas, neque corporum solum, sed quae
/>nullo pretio aestimari potest, aeterna animarum vita
/>certo periclitatur, omni nisu, & constantia vehementer
/>obstant. Neque sibi, saepe in Deum fidei, mu-
/>nerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime
/>constitutis legibus, indictisque gravissimis poenis hor-
/>rendum scelus proscripsum sit, nisi accuratam ipsa-
/>rum legem penarumque executionem graviter urgeant,
/>ac promoveant; seque inexorabiles Dei vindices in
/>eos, qui talia agunt, diligenter exhibent; Nam si
/>delinquentes, aut oscitanter ferant, aut molliiter pu-

»niant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius
/>»sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inul-
/>»tatum effundi permisserint. Vani enim, falsaque honoris
/>»idolo humanas litari victimas non impune feret Su-
/>»premus omnium Judex Deus, rationem ab eis aliquan-
/>»do exacturus, quorum est divina, & humana jura
/>»tucri, sibi que creditorum hominum vitam servare,
/>»pro quibus Sanguinem ipse suum Jesus-Christus effu-
/>»dit. Volumus autem, ut praesentium literarum trans-
/>»umptis, &c. Nulli ergo &c. Datum Romae apud Sanctam
/>»Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae
/>»MDCCLIII. quarto Idus Novembris, Pontificatus nos-
/>»tri anno terdecimo. (Ad n. 23. & 4. circa sepulchrum
/>»Vide leg. 8. & 10. tit. 13. part. 1.)

EBRIETAS.

Ebrietas. Vide verbum Clericus art. 5. à num. 15. ad
20. & verb. Irregularitas art. 1. sub num. 11. & verb. Gu-
la à num. 12. ad 31. in talibus enim citatis locis quan-
tum sufficit pertractatum est de hujusmodi verbo.

ECCLESIA.

ECCLESIA potest capi dupliciter scilicet in sensu morali,
prout nempe significat caetum, coenocetum, collec-
tionem, aut congregationem hominum, quo sensu Eccle-
siam saepe accipit Scriptura, ut Psal. 25. Oculi eccle-
siae malignantium; & Psal. 88. Laus ejus in ecclesia
Sanctorum, & Matth. 5. Convenit ecclesia magna; & ad
Romanos 16. Salutans vos omnes ecclesia Asiae, & alibi
passim, quo sensu etiam cuncti fideles sub uno in terra
Capite, idest Papa, existentes, vocantur ecclesia, ut
patet in cap. Ecclesia 7. de consec. dist. 1. ibi: Ecclesia
id est Catholicorum collectio. Et potest capi pro ipsa eccle-
sia materiali, scilicet pro templo aliquo manufacto, seu
ade publicae cultui divino deputata, in quo fideles ad
colendum, & invocandum Deum, Divina ministran-
da, & percipienda conveniunt; Unde de ecclesia utro-
que hoc modo sumpta brevier erit sermo, & in primis
de ecclesia in sensu morali capta.

ARTICULUS I.

Ecclesia in sensu morali capta quoad ejus esse, & prin-
cipales notas.

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia nomen quid significet.
2 Ecclesiae nomen aliquando sumitur generaliter, & ali-
quando particulariter, & quid utrumque importet.
3 Affertur vera definitio ecclesiae, & explicatur per sin-
gulas ejus particulas, usque ad num. 9.
4 Ad hanc ecclesiam spectant, non solum praedestinati,
sed etiam reprobi.
5 Sic etiam ad hanc ecclesiam spectant, non solum justis,
sed etiam peccatores.
6 Ad hanc tamen ecclesiam non spectant, seu ab ea ex-
cluduntur Pagani, Turcae, Judaei.
7 Excluduntur etiam Cathedumeni.
8 Item excluduntur Haeretici, & à fide Aponatae.
9 Item excluduntur Schismatici.
10 Item excluduntur Excommunicati.
11 Una, & eadem substantialiter, & formaliter est eccle-
sia legis gratiae, legis naturae, & legis scripturae.
12 Nota praecipua, per quam vera ecclesia discernitur à

E

falsis, sunt quatuor, scilicet quod sit Una, Sancta,
Catholica, & Apostolica.

- 19 Prima vera ecclesiae nota demonstratur, & insinuat.
20 Haec ecclesia variis titulis est Una.
21 Secunda nota vera ecclesiae explanatur.
22 Haec ecclesia pluribus titulis dicitur Sancta.
23 Tertia vera ecclesiae nota, quod scilicet sit Catholica
variis rationibus ostenditur.
24 Quarta vera ecclesiae nota, quod scilicet sit Aposto-
lica, variis de causis demonstratur.
25 Sola Ecclesia Romana Catholica habet notas verae eccle-
siae Christi, & in ipsa sola potest obtineri salus, &
nullas extra ipsam salvatur.
26 Ecclesia Romana pro eodem sonat, ac universalis.
27 Summus Pontifex, quamvis non sedeat Roma, appella-
tur semper Romanus Pontifex, & sola Ecclesia Ro-
mana appellatur Una, Sancta, Catholica, & Aposto-
lica.
28 Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam
Romanam Matrem.

ECCLESIA est nomen graecum, quod significat evoca-
tionem, seu coetum vocatorum; Hinc usurpatur à no-
bis ad significandum coetum fidelium, & aptissime no-
mine vocationis coetus fidelium appellatur, quoniam ad
coetum fidelium nemo se instinctu proprio adjungit,
sed coelesti admonitus vocatione. Ecclesiae nomen ali-
quando sumitur generaliter, aliquando particulariter.
Nomen ecclesiae sumptum generaliter est quid commune
ad ecclesiam Triumphantem, quae est coetus in Coelis
regnantium, siye hominum, siye Angelorum, ad Eccle-
siam Patientem, quae est Congregatio hominum in igne
purgandis peccatorum reliquiis probatorum: & ad
Ecclesiam Militantem, quae est adunatio Christianorum
contra salutis hostes pugnantium. Nomen ecclesiae sumptum
particulariter significat tantum Christi Ecclesiam
Militantem; & Ecclesia sic sumpta, de qua solum in
praesenti est sermo, sic definitur: Ecclesia est Congrega-
tio, seu coetus visibilis Baptizatorum sub uno capite Chris-
to in Coelis, & Romano Pontifice ejus Vicario in Terris
inter se in eadem Fidei professione, & Sacramentorum
participatione colligatorum. Est in re communis. Dicitur
primo Congregatio, seu Coetus visibilis, quia ut dicitur
in Prol. 18. In sole posuit Tabernaculum tuum, quod ibi
de Ecclesia intelligit S. Aug. dicens: In sole posuit Ta-
bernaculum tuum, hoc est in manifestatione posuit Eccle-
siam suam, non in occulto. Et idem habet in Epistola 166.
ad Donatistas; ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est in
manifestatione omnibus nota usque ad terminos terra. Di-
citur secundo: Baptizatorum, quia nullus est ecclesiae
membrum, aut intrat Ecclesiam, nisi per Baptismum,
qui est porta unica, & omnibus communis. (Vid. verb.
Baptismus.) Dicitur tertio sub uno Capite Christo, quia
Deus ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, ad Ephes.
cap. 1. & cap. 5. Quoniam vir caput est mollis, sicut
Christus caput est Ecclesiae. Dicitur quarto: Et Romano

*Pontifex ejus Vicario*, quia solus Romanus Pontifex est verus Christi Vicarius totius Ecclesie respectu, & contraria opinio Lutheri fuit tamquam haeretica proscripta à Leone X. const. incip. *Exurge*, & est Lutheri error 23. ibi: *Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in beato Petro constitutus*. Tum quia ipsi in persona Petri dixit Christus *Joan. 21. Pasce oves meas*, & licet spectet etiam ad Episcopos, aliosque Pastores regere Ecclesiam, hoc tamen est cum subordinatione ad Romanum Pontificem. Dicitur quinto, in eadem *Fidei professione*, & *Sacramentorum participatione*, quia sicut ecclesie membra sub uno, & eodem capite nempe Christo vivunt: sic eadem fidei professione, & Sacramentorum participatione debent ipsum colere. Dicitur sexto, & ultimo, *inter se colligatorum*, quia non sufficit ad veram congregationem, seu eorum, qualis est ecclesia, sola multitudo; sed requiritur insuper aliqua communicatio per preces, charitatem &c. ut verificetur Sanctorum communio.

Ad hanc Ecclesiam spectant, non solum praedestinati, ut praedantur Wiclefista, Hussita, & Calvinista, sed etiam reprobi, cum isti, sicut illi possint Christi fidem profiteri sub uno capite, & de facto Christus *Joan. 10. Ecclesiam comparavit Ovis, in quo sunt Oves, & hodi; & Matth. 13. ipsam Ecclesiam comparavit agro, in quo est bonum semen, & Zizania*; Item *Matt. 25. ipsam comparavit decem virginibus*, ex quibus erant quinque prudentes, & quinque fatuae, ex quibus dantur intelligi praedestinati, & reprobi. Sic etiam ad hanc ecclesiam spectant non solum justi, & perfecti, qui nullum habent peccatum, ut praedantur Pelagiani; sed etiam ipsimet peccatores, quia per hoc, quod aliqui peccent peccato furi, homicidii, & hujusmodi, non rejiciuntur propterea fidem Christi, aut ecclesiae subjectionem.

Ad hanc tamen ecclesiam non spectant, seu ab ipsa excluduntur Pagani, Turcae, Judaei, qui numquam ad veram fidem venerunt; Unde Apostolus *1. ad Corinth. 5. Qui dicit de his, qui foris sunt judicare, id est, de infidelibus*. Excluduntur etiam Cathecumeni qui licet sint fideles, possintque, si sic moriantur, salvati ratione Baptismi in voto, tamen cum nondum Baptismum receperint, inter actualia ecclesiae membra non numerantur, qui juxta Concilium Florentinum, & Sanctos Patres homines fiunt de corpore ecclesiae cum baptizantur; Unde Cathecumeni non ligantur ecclesiae constitutionibus, & si revertantur ad Paganismum, aut Hebraismum, non possunt ut Apostatae haberi, ac puniri. Item excluduntur Haeretici, & à fide Apostatae; cum enim ipsi veram fidem non profiteantur, neque esse de corpore ecclesiae, quae est congregatio fidelium ex Concilio Lateranensi *cap. Firmiter, de Summa Trinitate*; & ideo in Concilio Niceno *cap. 8.* dicuntur posse recipi in ecclesiam, si redeant; quod signum est manifestissimum ab ea fuisse separatos; Et quamvis ecclesia possit ipsos judicare, & punire, hoc non est, quia sint sua membra, & de suo corpore, sed quia debent esse, ut jam fuerunt, & ab ea sponte, & culpabiliter recesserunt. Item excluduntur Schismatici, quia licet idem credant, ac nos, ubi sunt praecise Schismatici, per hoc tamen, quod unionem non habent cum capite, nec locum habere possunt in corpore. Hinc ecclesia in die Paraseves orat per Haereticos & Schismaticos, ut Deus ad ecclesiam eos revocare dignetur. Item excluduntur Excommunicati, quia ex quo privantur omni commercio spirituali, quod habent ecclesiae membra inter se, non censentur cum aliis colligati, textu expresso in *c. Omnis 32. caus. 11. quest. 3. ibi: Omnis Christianus, qui à sacerdotibus excommunicatur, Satanae traditur. Quomodo? Quia scilicet extra ecclesiam diabolus est*. Et S. August. *lib. de Unitate Ecclesiae c. ultim. ait: Excommunicari est viribiter praecludi ab Ecclesia*.

Una, & eadem substantialiter & formaliter est ecclesiae legis gratia, ac ecclesiae legis natura, & legis scripta. *Est communis inter Catholicos*; Et ratio est, quia unum, & idem objectum Fidei, Christus nimirum,

semper fuit ab exordio mundi creditum usque ad praesens; & crederetur usque ad consummationem saeculi; cum hac solum differentia, quod juxta diversitatem temporum magis, & minus explicitè creditum fuerit hoc unum, & idem objectum Fidei; magis enim explicitè fuerunt multa credita tempore legis scriptae, quam tempore legis naturae; & magis explicitè plura creduntur tempore legis gratiae, quam tempore utriusque, legis naturae scilicet, & scriptae crederentur, ut egregie ad rem habet S. Augustinus in *tradi. 45. in Job. num. 9. ibi: Ante advenum Domini nostri Jesu Christi qui humilis venit in carne, processerunt justi; sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit; Tempora variata sunt, non fides, quia & ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur, alium sonum habet venturus est, alium sonum habet venit, mutatus est sonus venturus est, & venit, eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos, qui venturum esse, & eos, qui venisse crediderunt diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, hoc est per Christum, videmus ingressos; & ad hoc propositum adducit Apostol. 2. ad Corinth. 4. dicentem: *Habentes eundem spiritum Fidei*; adeoque una, & eadem substantialiter, & formaliter est ecclesiae legis natura, & legis scripta, ut clare etiam constat ex diversis statibus vitae hominum, sicut enim est idem numero homo, & quando est infans, & quando adolescentis, & quando juvenis, & usque ad finem vitae; sic eadem omnino est ecclesia in diversis statibus eandem substantialiter, & formaliter idententer servans, cum ecclesiae legis naturae comparetur infantia hominis; ecclesia legis scriptae adolescentiae, & ecclesia legis gratiae Juventuti, & maturitati usque ad finem vitae. Hinc firmiter tenendum est tres dictas ecclesias non formaliter, sed materialiter tantum fuisse, & esse distinctas, adeoque unam tantummodo, & eandem essentialiter, & formaliter esse, cum qualibet per eandem fidem in Christum, sive ante incarnationem, ut ecclesiae legis naturae; & legis scriptae, sive post incarnationem, ut ecclesiae legis gratiae, sibi paraverit, & parat aditum ad salutem, ut expresse docet S. August. in *Psalm. 104. num. 10. ibi: Non enim quisquam praeter istam fidem, quae est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem, sive postea reconciliatus est Deo?**

Nota praecipue, per quas haec nostra vera ecclesia discernitur à falsis, sunt quatuor, scilicet quod sit *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica*. *Est communis inter Fideles*, cum sic articulus Fidei definitus in Concilio Constantinopolitano, & fidelibus omnibus credendus propositus in symbolo, quod in missis recitatur, & habetur etiam expresse in *cap. Unam Sanctam de Majoriati, & obedient. inter commun. ibi: Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, & ipsam Apostolicam urgente fide credere cogimur, & tenere. Nosque hanc firmiter credimus, & simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum*. Prima igitur vera ecclesia nota est, quod sit *Una*, quod verum est, non solum de ecclesia legis gratiae, sed etiam ut consideratur ab initio mundi usque ad consummationem saeculorum, ita ut credentium universalitas, quae fuit in ecclesia legis naturae, & legis scriptae, & legis gratiae, semper eadem fuerit, & sit essentialiter, ut fuit ostensum sub *num. 17.* Hanc ecclesiam unam insinuat Scriptura variis in locis, *Cantic. 6. dicitur: Una est Columba mea*, quod de unitate ecclesiae interpretatur S. Augustin. *tradi. 6. in Joann. ibi: Quid evidentius Fratres mei quam in Columbia unitas, in linguæ gentium societas... unde debuit ergo, charissimi, demonstrari Spiritus Sanctus, Unitatem quamdam designans, nisi per Columbas, ut peccata Ecclesiae diceretur: Una est Columba mea?* Et de ecclesiae unitate intelligitur etiam in *cit. cap. Unam Sanctam, de majoriati, & obedient. inter commun. ibi: Sponsus in Cantibus proclamata una est Columba mea, perfecta mea, una est matri-sue, electa generis sui, quia unum corpus mysticum representat, cujus caput Christus, Christi vero Deus, & Psalm. 2. dicitur: Erus à fr-*

18  
19  
20  
21  
22  
23

*mea Deus animam meam, & de manu canis unam meam*, quod de nostra vera ecclesiae unitate intelligitur in *dist. cap. Unam Sanctam*, ibi: *Hanc autem veneramus & unam, dicente Domino in Propheta: Erue nam fraxea Deus animam meam, & de manu canis unam meam, pro anima enim, id est, pro se ipso capite simul oravit, & corpore, quod corpus unicum scilicet ecclesiam nominavit?* & Jo. 10. dicitur: *Unum ovile, & ad Ephes. 4. dicitur Unum Corpus*.

Unde haec ecclesia variis titulis est una. Primo est una unitate principii, scilicet Dei vocantis, & Christi fundantis, & ideo dicitur ad *Ephes. 4. Unus Dominus*. II. Unitate capitis, sicut enim unum est ovile, ita est unus Pastor, ut dicitur *Joan. 10. III. Unitate conjunctionis, & ideo dicitur 1. ad Corinth. 10. Unum Corpus unum, & Ait. 4. Crediturum erat cor unum, & anima una in Domino*. IV. Unitate fidei, ut habetur ad *Ephes. 4. Una Fides*, & ibidem: *Dones occurrant omnes in unitatem Fidei*. V. Unitate mediorum, ad haereditatem fideles perducentium, tum interiorum, quae sunt *Fides, Spes, Charitas*, tum exteriorum, quae sunt *Sacramenta*, & ideo ad *Ephes. 4. dicitur Unum Baptisma*, quod est reliquorum janua, & fundamentum. VI. Unitate Sacrificii, ut dicitur, *1. ad Corinth. 10. Omnes, qui de uno pane participamus*. VII. Unitate doctrinae, de qua loquens S. August. dicit: *Qui volunt unam linguam veniant ad ecclesiam, quia in diversitate linguarum carnis, una est in fide lingua cordis?* Unde S. Irenaeus de *unitate Fid. cap. 3. sic ait: Neque, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter, aut aliter tradunt, neque haec, quae in Oriente, neque haec, quae in Aegypto, neque haec, quae in Lydia, neque haec, quae in medio mundi sunt constituta; sed sicut hoc creatura Dei in universo mundo unus, & idem est; sic & lumen, & praedicationis veritatis ubique lucet?*

Secunda nota verae ecclesiae est, quod sit *Sancta*. Unde *Cantic. 6. dicitur: Ecclesia decora Columba, pulchra ut Luna, electa ut Sol*. Epistol. 1. *Petri cap. 2. dicitur: gens Sancta; Et ad Romanos cap. 1. Omnibus, qui sunt Romae... vocatis Sanctis*. Unde pluribus titulis dicitur *Sancta*. I. Propter sponsum Christum, qui est *Sanctus Sanctorum*. II. Quia in eam nullus ingreditur, nisi per Baptismum ablutus, & sanctificatus, *1. ad Corinth. cap. 6. Haec quidem fuistis, sed abluistis, sed sanctificati estis*. III. Propter Christi mortem: Ad hoc enim Christus passus est, ut ecclesiam suam sanctificaret, ut dicitur *4. ad Ephes. Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, & ad Haebros cap. 13. Jesus, ut sanctificaret populum per sanguinem suum extra portam passus est?* IV. Propter ejus leges, praecipua, Sacramenta, & doctrinam, quae omnia sanctitatem redolent, & eo tendunt, ut Sancti efficiantur. Unde *Psalm. 18. dicitur: Lex Domini immaculata convertens animas; ad Ephes. c. 1. dicitur: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus*. V. Quia extra illam nulla sanctitas esse potest, dicit enim S. August. *lib. de Baptismo contra Pelagianum cap. 16. sic: Intra istam arcam (Catholicam Ecclesiam) boni, & mali esse possunt; extra eam boni esse non possunt*.

Tertia nota verae ecclesiae est, quod sit *Catholica* id est, *Universalis*. I. Ratione loci, quia per totum Orbem diffusa, & ideo *Psalm. 18. dicitur: In omnem terram exiit sonus eorum, & in finis Orbis Terra verba eorum; Et Marc. 16. Eant in mundum universum &c.* Et S. August. *Epist. 52. ad Severinum num. 1. dicit: Ipsa enim est Ecclesia Catholica, unde graece appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur?* & *Epistol. 140. ad Honoratum num. 43. ait: Ecclesia illa est, quam modo dicit unam suam, hac est verba Catholica, quae toto orbe copiosa diffunditur, quae usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur?* II. Ratione personarum, quia vocat, & recipit homines cujuscumque nationis, status, & conditionis, si velint Evangelio obedire, & salvari; Unde *Marc. 16. dicitur: Praedicate Evangelium omni Creaturae*. III. Ratione temporis, quia fuit ab initio mundi, & durabit usque ad finem

per omnia tempora: Hinc *Daniel 2. dicitur: Succurbit Deus culti regnum, quod in aeternum non dissipabitur*. IV. Ratione communis consensus populorum etiam inimicorum eam Catholicam appellantium, ut observat S. Augustin. *de vera religione cap. 7. ibi: Tenenda est nobis christiana religio, & ejus ecclesiae communicatio, quae Catholica est & Catholica nominatur, non solum à suis, verum etiam ab omnibus inimicis*. Velint, nolint, ipsi enim quoque haeretici, & schismatici alumnii, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant. Et idem S. August. in *c. 9. Jo. sic dicit: Multa sunt, quae in gremio ecclesiae me tenent; tenet me consensus populorum, tenet auctoritas miraculis inchoata, usque nutrita, charitate aucta, veritate firmata; tenet successio Sacerdotum ab ipso Petro, tenet denique ipsum Catholicam nomen, quod ita inter tor haereses ecclesiae sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se Catholicos dicit velint, quaerenti tamen peregrino alieni, ubi ad Catholicam Ecclesiam conveniatur, nullus haereticorum basilicam suam audeat ostendere?*

Quarta nota verae ecclesiae est, quod sit *Apostolica*, & dicitur *Apostolica* tribus potissimum de causis. I. Quia fundata est à Christo, qui ad *Hebr. 3. dicitur Apostolus confessionis nostrae; Et quod Christus Auctor, & fundamentum nostrae ecclesiae sit Apostolus, clare patet, quia Apostolus idem est ac missus, Christus autem missus est à Patre ad homines edocendos, & redimendos*. *Joan. 20. ibi: Sicut misit me vivens Pater &c.* 2. Quia fuit per Apostolos propagata, & firmata; Unde ad *Ephes. 2. dicitur Fideles superaedificati super fundamentum Apostolorum; & ad Romanos 10. ex Psalm. 18. dicitur: In omnem terram exiit sonus eorum, & doctrinam ab ipsis Apostolis receptam semper integram, & incorruptam retinuit, & retinebit; Unde ad Galatas 1. dicitur: Licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit?* 3. Quia ab ipsis Apostolis usque ad nos per continuum virorum Apostolicorum successionem descendit: Unde S. August. *lib. contra Epistol. fundamenti cap. 1. dicit: Tenet me in gremio ecclesiae ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum?*

Sola Ecclesia Romana Catholica habet notas verae ecclesiae Christi, & in ipsa sola potest obtineri salus, & nullus extra ipsam salvatur. *Est de Fide*, & habetur expresse tota conclusio in *cap. Unam sanctam, de Majoriati, & Obedient. inter communes*, ibi: *Unam sanctam Ecclesiam Catholicam, & ipsam Apostolicam, urgente Fide credere cogimur, & tenere, Nosque hanc firmiter credimus, & simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum*, & ibi est sermo de sola Ecclesia Romana Catholica, ut expressis verbis *ibidem in §. final. declarat*ur ibi: *Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis?* Et habetur etiam definitum in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. in *cap. Firmiter 1. de summa Trinitate*, ibi: *Una vero est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est sacrificium Jesu Christi?* Habetur etiam definitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. ut in ejus constitut. incip. *Latanatur*, ibi: *In universo orbe primatum tenet, est successor B. Petri, & verus Christi Vicarius, totiusque ecclesiae caput, & omnium Christianorum Pater, & Doctor, cui in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est?* Hinc à Leone X. in constitut. incip. *Exurge*, fuit tamquam haeres proscriptus sequens error Lutheri in ordine 25. *Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus?* Ecclesia enim Romana commissa Petro, & successoribus ejus Romanis Pontificibus, à quibus tamquam à Capite Romana

24  
25  
26  
27

27 denominatur, pro eodem sonat, ac universalis. Unde quamvis Summus Pontifex, qui est Pastor Universalis omnium fidelium, Romæ non sedeat, ut de facto plures non ibi sederent, adhuc tamen appellatur semper Romanus Pontifex, & sola Ecclesia Romana appellatur Una, Sancta, Catholica, seu Universalis, & Apostolica, ut constat ex constitut. incip. Gloriosam, edita à Joan. XXII. qui nunquam Romæ sedit, ibi: Una est igitur Sancta, Universalis, Apostolica, atque Romana Ecclesia, extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non zinit, & divina providentia non permittit ut membrum, quod à totius corporis unitate sejungitur, vitute, que à vertice in corpus influit, aliquantulum vegetetur; Unde S. Augustinus de Symbolo ad Catechumenos, serm. 1. cap. 6. sic expresse dicit: Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnant, pugnari potest, expugnari non potest; hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmeta inutilia de vite præcisa. Et serm. 4. de eod. Symbolo ad Catechumenos cap. 13. dicit: Si quis absque ecclesia invenitus fuerit, alienus erit à numero filiorum, nec habebit Deum Patrem, qui ecclesiam voluerit habere matrem.

ARTICULUS II.

Ecclesia quoad ejus Visibilitatem, Indefectibilitatem, & Infallibilitatem.

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia vera Christi est, & fuit semper absolute visibilis.
- 2 Ecclesiam esse visibilem ostenditur etiam evidenti ratione.
- 3 Christi Ecclesia visibilis, seu Ecclesia Romana Catholica est indefectibilis, & semper duratura.
- 4 Colligitur etiam ex aliis scriptura locis.
- 5 Colligitur etiam ex variis veteris Testamenti testimoniis.
- 6 Ostenditur etiam expresse ex Sanctis Patribus.
- 7 Ecclesia Romana Catholica in rebus fidei, & morum est infallibilis.
- 8 Colligitur etiam ex aliis Evangelicis textibus.
- 9 Colligitur etiam ex variis sacris canonibus.
- 10 Ecclesia Romana Catholica est regula Fidei, & morum in toto mundo.
- 11 Sola potest definire Causas fidei.
- 12 Sola fides Ecclesie Catholice Romanae est ab omnibus tenenda, & non alia.
- 13 Non tenens illam fidem, quam Ecclesia Romana docet, non est in Ecclesia.
- 14 Ecclesia Romana dicitur Mater, & Magistra omnium ecclesiarum.
- 15 Ecclesia Romana est etiam caput ecclesie græcæ.
- 16 Romana Ecclesia habet annexum primatum universali ecclesie ex institutione, & præcepto Christi Domini.
- 17 Afferitur, & solvitur instantia.
- 18 Sedes Apostolica non potest à Romana Urbe divelli, & alio transferri.
- 19 Ubi est Papa, ibi est Roma.

1 Ecclesia vera Christi est, & fuit semper absolute visibilis, ut tenent unanimiter Catholicæ contra Novatores, & deducitur ex pluribus Scripturæ textibus. In Psal. enim 18. dicitur: In sole posuit tabernaculum suum, quod ibi de ecclesia intelligit S. Augustinus dicens: In sole posuit tabernaculum suum, hoc est, in manifestatione posuit ecclesiam suam, non in occulto, & idem habet in Epist. 166. ad Donatistas, ibi: Ipsa ecclesia in sole posita; hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ. Matth. 18. præcipit Christus, ut quando frater noster est incorrigibilis, dicamus Ecclesie, ibi: Dic ecclesie, & si ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus. Verba autem illa: Dic,

& si non audierit, indicant apertissime ecclesiam esse visibilem, cum ibi mandet Christus, ut ad ecclesiam, ut ad Judicem controversiarum recurratur, eaque audiat, quod nullimode posset fieri, si ecclesia esset invisibilis. De ecclesia item visibili intelligendum est illud Actorum 18. Attendite vobis, & universis gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei. Grex enim, qui non videtur, nec cognoscitur, nequit à pastore regi, & gubernari, adeoque si ecclesia est regenda, & gubernanda ab Episcopis, non est cæcus, seu congregatio invisibilis. Item de ecclesia visibili intelligitur illud 1. ad Timoth. 3. Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi. Per verbum enim illud conversari denotatur clare visibilitas ecclesie, cum non possit quis conversari cum invisibilibus. Item de ecclesia visibili intelligitur illud ad Galatas 1. Persequar ecclesiam Dei, & expugnabam illam; Cœcum enim invisibilem non potest quis persequi; Et si Paulus ecclesiam expugnabat, necessario videbat, ubi ipsa ecclesia, seu congregatio expugnanda existeret. Item de Ecclesia visibili intelligitur illud Act. 13. Cum venisset Hierosolimam, suscepti sunt ab ecclesia; & cap. 18. Ascendit Paulus, & salutavit ecclesiam. Hæc enim nequeant convenire ecclesie invisibili.

Ecclesiam esse visibilem ostenditur etiam evidenti ratione, quia illa ecclesia est visibilis, in qua publice convocantur Concilia, sanciantur canones, damnantur hæreses, pastores visibiles docent subditos, subditi obediunt pastoribus, sacramenta sensibilia administrantur, &c. sed hæc omnia fiunt in vera ecclesia Christi, ut de se patet, ergo &c. Tum quia de ratione essentiali ipsius ecclesie, ut patet ex ejus definitione, est quod sit congregatio, seu societas quædam hominum baptizatorum: atque non potest dici congregatio, seu societas hominum, nisi in externis, & visibilibus signis consistat, cum non sit societas, nisi se agnoscat illi, qui dicuntur socii; nec homines se possint agnoscere, nisi societatis vincula sint externa, & visibilia. Et hoc patet clarissime ex more omnium humanarum societatum, seu congregationum, nam in civitate, in regnum, & militia, & alia hujusmodi, non aliter homines adscribuntur, quam signis externis, & visibilibus. Hinc S. Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 12. sic expresse dicit: In nullum nomen Religionis, seu ærum, seu saltem coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculo, vel sacramentorum visibilibus consortio colligantur. Unde idem S. Augustinus Epist. 105. num. 14. scribens ad Donatistas ipsos adhortando ad unitatem visibilium nostræ ecclesie, eos sic alloquitur; In scripturis dicimus Christum; In scripturis dicimus ecclesiam; Hæc scripturas (à Donatista, & Hæretici) communiter habemus, quare non in eis, & Christum, & Ecclesiam communiter vinemus? Et num. 17. Ecco scripturæ communes; ecce ubi nomen Christum, ecce ubi nomen ecclesiam; Si Christum ipsum tenetis, ipsam ecclesiam quare non tenetis? Si ipsum Christum, quem legistis, & non videtis, tamen propter veritatem scripturarum creditis, quare ecclesiam negatis, quam legistis, & videtis?

Christi Ecclesia visibilis, seu Ecclesia Romana Catholica est indefectibilis, & semper duratura usque ad finem mundi. Est de fide, & habetur expresse ex c. 16. Matth. ibi: Dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalent adversus eam. Atqui si defecisset, aut potuisset deficere, adversus eam prævaluissent, aut potuissent prævalere portæ inferi, ergo &c. Item 1. ad 1. timoth. cap. 3. dicitur: Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis, sed non potest deficere veritas, ergo nec ejus columna, cum non deficiente sustentaculo debeat necessario corruere sustentatum. Colligitur etiam ex aliis scripturæ locis, ubi clara est promissio perpetuitatis, & indefectibilitatis ecclesie visibilis; sine nomine ipsius ecclesie Matth. 28. dicitur: Decete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi; Hæc enim verba, ut de se patet, dicta sunt ad Ecclesiam visibilem, scilicet ad Apostolos, &

Dis-

Discipulos ceteros, quos in die Ascensionis suæ Dominus alloquutus est, adeoque ex promissione Christi, Ecclesia visibilis duratura est usque ad consummationem sæculi. Ad Ephes. 4. dicitur: Dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consumptionem Sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi; Ubi, ut vides, Apostolus clare demonstrat ecclesiam visibilem Christi duraturam esse usque ad novissimos dies, id est, usque ad finale Judicium, quando completur numerus electorum; Cum enim Pastores, & Doctores non dentur, nisi gregi esistenti, & visibili, & ex ipso tunc Pastores, & Doctores debeant esse visibiles, & perpetui, grex etiam debet esse visibilis, & perpetuus.

Colligitur etiam ecclesie visibilis perpetuitas, & indefectibilitas ex variis veteris Testamenti testimoniis, quæ perennitatem ecclesie visibilis clare indicant, & promittunt; Psal. 47. dicitur: Deus fundavit eum in æternum, id est, Ecclesiam suam, ut ibi exponit S. Augustinus. Isaie 61. (quod caput intelligi de ecclesia novi Testamenti docuit Christus Luca 4. cum in Synagoga citavit, & exposuit de adventu suo initium hujus capituli, Spiritus Domini super me &c.) sic dicitur: Et factus perpetuum feriam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint illum, cognoscant illum, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus; ubi vides satis aperte indicari perpetuitatem, & indefectibilitatem ecclesie visibilis; Non enim potest esse invisibilis ecclesia illa, seu cœtus ille fidelium, quod dicitur: Omnes qui viderint eos (quid clarius?) cognoscant illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Psal. 88. dicitur: Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut lana perfecta in æternum, & testis in Cælo fidelis; ibidem: & ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus, sicut dies Cæli: Daniel 2. dicitur: Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur. Istæ enim scripturæ intelliguntur passim à Sanctis Patribus de vera, & visibili Christi ecclesia nunquam defectura.

6 Ostenditur etiam expresse ex Sanctis Patribus. S. Augustinus de unitate. Eccles. cap. 12. sic habet: "Evangelizata est nobis ecclesia per totum orbem terrarum ÷ futura; Hoc in lege, & prophetis, & psalmis esse pronuntiatum ipse Dominus testificatus est, qui eam accepturam ab Jerusalem, & per omnes gentes permanens esse prædixit; testes sibi futuros in Jerusalem, & in tota Judea, & Samaria, & usque in totam terram, cum jam in Cœlum ascenderet, prænuñciavit. Quisquis aliud evangelizaverit anathema sit; aliud vultem evangelizari, qui perisse dicit de cetero mundo ecclesiam & in sola parte Donati?" (seu Lutheri, Calvini, aliorumque Protestantium) in sola Africa (Germania, Geneva, Saxonia, Prussia, Hollandia, Anglia, & hujusmodi) remansisse dicit; ergo anathema sit, aut legat michi in Scripturis Sanctis, ut non sit anathema. Et idem S. Augustinus lib. 1. de Symbol. ad Catechum. c. 5. ait: "Ipsa est Ecclesia Sancta... pugnari potest, expugnari tamen non potest; Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmeta inutilia de vite præcisa; ipsa vultem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincunt eam." S. Hieronymus in cap. 4. Isaie vers. 26. sic dicit: Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertitur. S. Gregorius Magnus in Psal. 5. Psalmen. 26. sic expresse habet: Sancta Ecclesia in hoc seculo à Catholica Fide nequaquam deficit. S. Ambrosius lib. Hexameron. cap. 2. sic ait: Ecclesia tempora sua habet perturbationis; & pacis, nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest. S. Joanni Christostomus serm. de Penitentiâ. tom. 3. sic habet: Punit eam te posse laedere, sed non poteris; Christus enim propter eam passus est; portæ inferi non prævalent adversus eam.

7 Ecclesia Romana Catholica in rebus fidei, & mo-

rum est infallibilis, seu errare non potest. Est de Fide. Et ostenditur ex pluribus Sacre Scripturæ testimoniis. Joan. 16. dicitur: Spiritus veritatis docetis vos omnem veritatem; hoc autem Christus promittebat immediate Apostolis, & mediate eorum successoribus; sed qui scit omnem veritatem, non potest errare in materia fidei, aliàs sciret, & non sciret; Ergo Ecclesia sic de omni veritate edocta non potest errare in rebus fidei; & morum. Luc. 10. Christus alloquens Ecclesie Pastores, sic dicit: Qui vos audit, me audit. sed hoc non esset, si Ecclesia Catholica posset errare; ergo &c. Minor probatur, quia si omnes simul constituentes Ecclesiam posset errare, qui ipsos audiret errantes, non audiret Christum, cum Christus non possit falsum proponere, ergo &c. adeoque Matth. 18. dicitur: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus; ex quo textu clare indicatur, Ecclesiam Catholicam esse infallibilem, aliter non posset haberi tamquam Ethnicus, non audiens Ecclesiam, quæ esset fallibilis, & forte errores proponeret. Epist. 1. ad Timoth. c. 3. dicit: Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, adeoque tamquam firma in veritate, errare non potest in fide. Epistol. ad Ephes. cap. 1. dicitur: Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & eadem Epist. cap. 5. dicitur: Vir caput est mulieris, sicut Christus caput Ecclesie; adeoque si Ecclesia in rebus fidei, & morum erraret, error tribueretur Christo suo capiti, quod absurdum ne dicatur, dicendum est ecclesiam esse infallibilem, seu errare non posse in materia Fidei, & morum.

Luca 22. dicitur: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, quem textum exponens Joannes XXII. in constitutione incipiente, Redemptionem, sic ait: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, dumque pro Petro Christus rogat, pro ejus Ecclesia intercedit. Matth. 16. habetur: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent adversus eam; ubi, ut vides, ne possit errare ecclesia, facta est promissio magistro, & capiti; quia ex securitate non errandi in materia fidei, & morum prius in Romano Pontifice capite & magistro universalis ecclesie resultat securitas non errandi in ecclesia, quæ ejus doctrinam infallibilem recepit; ut optime observat Canus lib. 6. de locis cap. 3. §. Præterea, ibi: In Petro, & successoribus primum firmam certamque doctrinam præstitimus, mox vero in Ecclesia Romana, cujus Petrus eum successoribus & caput, & fundamentum est. Et hæc ecclesia infallibilis colligitur etiam ex pluribus sacris canonibus; ut cap. Palam est 9. dist. 11. cap. A recta 9. cap. Memor sum 10. cap. In sede 11. cap. Hæc est fides 14. cap. Rogamus 15. & cap. Si Petrus 17. caus. 24. quest. 1. cap. Firmiter 1. de summ. Trinit. cap. Exiit, de verb. significat. in 6. & cap. Unam sanctam, de major. & obed. inter commun.

Unde Ecclesia Catholica Romana est regula fidei & morum in toto mundo. Agapitus epist. 4. Leo IX. epist. 1. cap. 8. Concil. Lateranens. III. in appendic. tit. de spons. & cap. 2. & 7. Concil. Trever. cap. 1. Sola potest definire causas fidei; cap. Quoties 12. caus. q. 1. Fidei resolvere dubia, & questiones ad fidem spectantes; Cajus epist. 1. Marcell. I. Epistol. 1. Pelagius III. epistol. 8. in fine cap. Ne licuit 4. & cap. Multi 5. dist. 17. Sola fides Ecclesie Catholice Romanae est ab omnibus tenenda, & non alia; c. Rogamus 15. caus. 24. quest. 1. Joanni VIII. epistol. 194. Concil. Trever. c. 1. Non tenens illam fidem, quam Ecclesia Romana docet, non est in ecclesia; caput. Qui cathedram 3. dist. 93. ibi: Qui cathedram Petri (supra quam fundata est ecclesia) deserit, in Ecclesia se esse non considerat. Nec habet Spiritum Sanctum, c. Loquitur Dominus 18. c. Alienus est 10. c. Cap. Advocavit 23. caus. 24. quest. 1. Hinc Ecclesia Romana dicitur mater, & magistra omnium ecclesiarum; cap. Non decet 10. dist. 12. ibi: Nulli verbo dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, à cujus regulis nullatenus vos convenit deviare; & sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris sui, sic & vos implete voluntatem matris terræ; quæ est ecclesia; cujus caput Romana consistit Ecclesia; &

concordat cap. Denique 6. dist. 21. cap. Firmiter 1. de summ. Trinit. Ecclesia Romana est etiam caput Ecclesie Græcæ; cap. final. de Baptismo; quia fundavit ecclesias patriarchales; cap. Omnes 1. dist. 22. atque sunt subditæ ecclesia constantinopolitana, & omnes aliæ, cap. de Constantinopolitana 4. dist. 22. cap. Rogamus 15. caus. 24. quest. 1. Leo IX. epist. 1. cap. 28. & cap. final. de privileg. in 6. Unde Ecclesia Romana est infallibile caput religionis; Nicolaus I. in appendic. epist. 14. & cap. Officii nostri 13. cap. Hæc est fides 14. cap. Rogamus 15. caus. 24. quest. 1. ibi: Rogamus vos, Fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis, neque sentiat, quam quod a B. Petro, & reliquis Apostolis, & Fratribus accepistis: Ipse enim caput totius ecclesie, cui ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam... ejus enim sedes jubente Domino Romam translata est... ad quam cuncta majora ecclesiastica negotia, divina disponente gratia, juxta sunt referri.

16 Romana Ecclesia habet annexum primum universalis ecclesie ex institutione, & præcepto Christi Domini. Habetur clare ex pluribus sacris canonibus, & signanter ex cap. Quamvis 3. dist. 21. ubi ex verbis S. Gelasii Papæ sic habetur: Quamvis universa per Orbem Catholica Ecclesia unus thalamus Christi sint, Sancta tamen Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodice constituitis, ceteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri primum obtinuit, c. Omnes 1. dist. 22. ubi ex verbis Nicolai II. sic habetur: Qui Romana Ecclesie privilegium, ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur; cap. Sacrosancta 2. ead. dist. 22. ubi ex verbis S. Anacleti Papæ sic habetur: Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas ecclesias; cap. Rogamus 15. caus. 24. quest. 1. ubi ex verbis S. Marcelli Papæ scribentis ad Episcopos per Provinciam Antiochia constitutos, sic habetur: Ejus enim (Petri) Sedes primitus apud vos fuit, que postea juvante Domino, Romam translata est. Epist. ad Michaelen Imperatorem scripta à Nicolao primo sic habetur: Ecclesie Romane privilegia Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus obtentata, atque à cuncta jugiter Ecclesia venerata, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, & quod Deus statuit, firmum, validumque constituit. Et infra: Illa igitur privilegia hinc S. Ecclesie à Christo donata, à Synodis non donata, sed solemnitate celebrata, & venerata; cap. Per venerabilem 13. Qui filii sint legitimi, ubi ex verbis Innocentii III. sic habetur: Locus, quem elegit Dominus, Apostolica sedes esse cognoscitur, cum enim Petrus Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, renovare, interrogavit ab eo, Domine quo vadis? respondit: Venio Romam iterum crucifigi, quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus.

17 Nec potest dici quod Romana Ecclesia obtinuit primum ecclesie universalis à Concilio Nicæno, ut volunt Schismatici; seu ab Imperatoribus Christianis, ut prætendunt Lutherani, Calvinistæ, & Magdeburgenses, alique Hæretici; nam ut refert Bail. summ. Concil. tom. 1. in Concilio Chalcedonensi ad can. 27. in præfatione dicti Concilii Nicæni expresse dicitur: Quod Ecclesia Romana nullis Synodice decretis prælata est ceteris ecclesiis, sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri Primum obtinuit. Et sit voce Domini, ut in mox laudato Concilio Nicæno, si ab ipso Domino Salvatore nostro, ut in dict. cap. Sacrosancta, si jubente Domino, ut in dict. cap. Romanus, si Christi ore, ut in dict. Epistol. Nicolai primi, Romana Ecclesia obtinuit primum ecclesie universalis, nullimode potest ab hæreticis dici, quod illum obtinuit ab Imperatoribus Christianis. Unde Eugenius IV. in Concilio Florentino in literis unionis sententiam nostram clare confirmat ibi: Desimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primam

tum... & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Hinc Sedes Apostolica non potest à Romana Urbe divelli, & alio transferri; & ideo non obstantibus tot Romanæ Urbis excidiis semper Apostolica Sedes Romæ fixa permansit, & licet pluribus annis Avenione resederit plures Summi Pontifices, ut Clemens V. qui illuc primus se transtulit, Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Urbanus V. & Gregorius XI. qui Romanam Curiam reduxit, tamen Apostolica Sedes Romano Episcopatu semper annexa remansit, & ipsi semper Romani Pontificis titulo sunt usi, ut patet in eorum Apostolicis, & Pontificis Rescriptis; Unde, ut refert Eminentissimus Petra tom. 4. comment. in Constit. 4. Eugen. IV. num. 6. stat. vulgatum adagium, quod ubi Papa, ibi Roma. Adeoque clare patet ordinatione divina, & non dispositione humana ecclesie universalis primum Romæ Ecclesie fuisse annexum. Sic tenent Cajetanus tom. 1. opus. tract. 3. de pontif. instit. cap. 13. Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 4. Valentia de fid. disput. 1. quest. 1. punct. 7. §. 37. Guarnieri de capite Militantis eccles. l. 2. cap. 8. Tiringius in summar. contro. 6. num. 11. Mattheucci contro. 6. cap. 2. num. 2. & seg. Leytam Synop. de eccles. militanti. discept. 5. sect. 4. num. 409. & plures alii.

APPENDIX

Sive novus de Christi Ecclesia

ARTICULUS.

Novum hunc Articulum addendum duxi, tum ut ea, que sunt ab Auctore omitta, supplerem, tum ut perfectum Lectoribus systema exponerem, in quo adversus Novatores orthodoxa doctrina explicaretur. A generali ecclesie notione exordium sumam, ac præmissa definitione ecclesie militantis generatim sumpte, de origine ecclesie, de variis ipsius statibus, de Dei cura in ipsius regimine in statu legis nature & scripte, ac demum de Christi ecclesie natura, notis, & prærogativis, ac regiminis forma compendiose pertractabo.

Ecclesia à græca voce ἐκκλησία originem trahit; quæ vox latine idem sonat ac evoco, congrego. Itaque juxta grammaticalem significationem idem ecclesia est, ac evocatio. In generali hac acceptione passim ecclesie vocabulum usurpat in Scripturis ad significandam civilem ac politicam hominum congregationem: quo quidem in sensu Psalm. 25. vers. 5. legitur: Odiit ecclesiam malignantium; & Psalm. 106. vers. 32. Exultent cum in ecclesia plebs; & Psalm. 106. vers. 32. Exultent cum in ecclesia plebs. Quandoque Ecclesia cum in veteri, tum in novo Testamento locum designat, in quam homines divini cultus causa conveniant; Ita Judith. 6. vers. 21. & 1. ad Corinth. xv. 18. & 22. Proprie vero atque usu ecclesiastico Ecclesia usurpatur ad fidelium societatem designandam. Quo sensu Apostolus Paulus ad Rom. 16. v. 16. ait: Salutant vos Ecclesie Christi; & versu 23. Salutant vos Cajus hospes meus, & universa ecclesia. Atque hæc postrema, stricta & propria significatio est vocabuli Ecclesia, quod societatem seu cœtum vocatorum exprimit; cum nemo ad hunc populum se adjungat per se & suo proprio instinctu, sed omnes quot quot veniunt à Dei vocatione præveniuntur. Hinc Hieronymus Comment. in cap. 5. Proverb. & Augustinus in Psalm. 80. observant, Ecclesie nomen atque designare societatem fidelium novi Testamenti, atque hanc à cœtu fidelium veteris Testamenti scernere, qui Synagoga dicebatur. In Hieronymi verba: Ecclesia & Synagoga, inquit, græca nomina sunt, & unam eandem rem latine significant, id est, conventum plurimorum ad invicem. Si autem subtilius distinguantur, Ecclesia convocatio, & Synagoga congregatio interpretatur; & verus quidem Dei populus utroque nomine vocabatur: nunc autem gratia distinctionis, ille Synagoga, noster Ec-

clesia dicitur, merito scilicet fidei & scientia majoris: quia & irrationalis creatura potest congregari.

7 Duplici autem modo Deus hominem vocat, scilicet interior per gratiam, & exterius per verbum, sive per revelationem, quia verum ac gratum ipsi cultum demonstrat, qua viam salutis ostendit, & necessaria media suggerit ad lapsum hominem reparandum, & ad æternam salutem obtinendam. Cum ecclesia congregatio hominum sit, qui recta fide, ac demonstrata à Deo ratione Deum colunt, ac tuta via ad æternam salutem pervenire contendunt, manifestum est non sufficere interiore vocationem, sed exteriori quoque necessariam esse, ut ea fidelium societas habeatur, quæ Ecclesia dicitur; nam vocatorum societas à fide incipit, quæ sine auditu non habetur; auditus autem deest, ubi verbum Dei non adsit exterius promulgatum, ut docet Apostolus Paulus. Rursus hæc societas convenire debet in exhibendo Deo verum, ipsique acceptum cultum, & in adhibendo præscripta à Deo remedia pro lapsu reparatione, ac pro æterna salute comparanda. Id vero geri nequit nisi per externam fidei confessionem, per externum cultum, ac per externum Sacramentorum usum, ut considerandi patet.

10 Itaque solus Deus Auctor, & causa princeps est ecclesie, quia solius Dei est homines ordinare ad finem sanctificationis per gratiam, & salutis per gloriam; & solius Dei est præscribere Ecclesie media necessaria, tum ad gratiam, cum ad gloriam obtinendam. Homines vero causa: meræ ministeriales esse possunt, dum scilicet eorum Deus utatur ministerio ad ostendendum hominibus, quæ manifestate ipse voluerit, ad media proponenda necessaria ad gratiam & gloriam comparandam, atque ad alia explicanda & inculcanda, quibus ecclesiam regi voluerit.

12 Hæc de ecclesia militante generatim sumpta (de aliis siquidem ecclesiis satis dictum arbitror ab Auctore.) Venio nunc ad ecclesiam Christi. Hæc duplici ratione considerari potest, scilicet secundum latam, & secundum strictam significationem. Piorum modo societatem designat Fidelium, qui in Christum crediderint, præscindendo ab explicita, vel implicita fide, à Christo sive nasciuro vel nato, morituro vel mortuo: Posteriori modo societas est hominum, qui fidem habent in Christum jam natum & passum, consummatis omnibus redemptionis humane sacramentis, & mysteriis.

15 Ecclesia Christi priori modo accepta non tantum natalem Christi antececessit, sed etiam iam floruit tempore legis nature & scripte, ut tunc temporis veros exituisse Christi cultores merito asseri possit. Audiat Augustinus epistola 190. quæ est ad Optatum c. 3. num. 8. Profecto, inquit, quod scriptum est, non esse aliud nomen sub Cælo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitium est genus humanum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, quia sicut in regno mortis, nemo sine Adam, ita in regno vite, nemo sine Christo. Atque alibi passim tradit idem Sanctus Doctor neminem post Adami peccatum salvari potuisse, nisi per fidem in Christum, & concione 6. in Psalm. 36. quotquot fuerunt justi caput Christum habere scripsit; Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, & in eius fide & ipsi sanati sunt, in cuius & nos, ut esset & ipse totius caput civitatis ferusalem. Itaque qui fidem in Christum professi sunt, & per hanc fidem salutem sunt consecuti, hi ad ecclesiam christianam pertinere, atque christianæ religionis cultores asseri merito possunt; quotquot vero fuerunt justi cum in lege Moysis, tum in statu legis nature, per fidem in Christum venturum salvi facti sunt, atque hac unice ratione justitiam & sanctitatem consequi poterunt; fuerit ergo omnes christianæ religionis cultores. Nec sola id Augustini auctoritate vincitur, sed etiam argumento illo theologico ex sacris literis petito, quo ostenditur, per solam fidem in Christum mediatorum Deum Iner & hominem, salvos fieri potuisse homines post Adami lapsum: Auctoritate Tertulliani lib. de resurrectione carnis cap. 6.

asserentis, ab ipsa hominis formatione Christum primum ac maximum fuisse fidei & religionis subjectum; auctoritate Eusebii Casariensis, qui lib. 1. demonstrat. Evang. cap. 5. ait, Christum notum fuisse Moysi, & antiquis Patriarchis, atque hos non Judaico, sed christiano more vixisse, ut scribit lib. 6. auctoritate denique Gregorii Magni, qui homilia 19. in Evangelia, sub vineæ parabola universalem exprimit ecclesiam, hanc ab Abel justo cœpisse ait, atque ad ultimum electum duraturam, qui in fine mundi nasciturus sit.

16 Ad initium vero quod spectat hujus ecclesie, facile intelligere est, statim post Adami lapsum repetendum esse. Tunc enim Deus revelatione, sive verbo suo humano generi demonstravit sola fide venturi Redemptoris, ac gratia ex ipsius mediatione expectanda, potuisse homines à peccato surgere, ac æternam salutem obtinere. Non est tamen qui non videat in hujusmodi revelatione generalem illam vocationem, qua homines per fidem in Christum ad societatem ineamdam, & ecclesiam constituendam invitabantur. Quamobrem dubitari non posse videtur, quin hoc in sensu Christi ecclesia statim post Adami lapsum inceperit.

18 Augustino tamen, enarratione in Psalm. 142. Gregorio Magno, loco supra à nobis citato, & quamplurimis Theologis placuit, christianæ ecclesie exordium ab ipso Abel repetere; tum quia scriptura primum Abel ex-celluisse asserat in publica fidei protestatione, sine qua visibilis ecclesia non consistit; tum quia conveniens ac consentaneum videtur, ut ecclesia, quam sanctam in symbolo profiteremur, ab eo inciperet, in quo primum inter homines sanctitas, & innocencia sine interruptione perseveravit, in signum sanctitatis, quæ nunquam in ecclesia Dei defectura esset; tum demum, quia tunc Dei ecclesiam palam à societate malignantium scernere cepit; sacrificii scilicet oblatione, in qua fidei illa protestatio enituit, quæ in Caini sacrificio desiderabatur.

19 Antequam exponam quid sit Christi ecclesia stricte sumpta, & quænam ipsius notæ atque prærogativæ, paucis investigandum censeo, quænam fuerit divinæ providentiæ cura in regenda ecclesia in statu legis nature, & in statu legis scripte. Neque enim dubitari potest de divinæ providentiæ cura in servanda, atque regenda ecclesia à se constituta; Deus enim sapientissimus cum sit atque optimus, opus, quod perfecit, providentia sua conservare, custodire, ac regere debet. Itaque qui ecclesiam fundavit, quæ ad finem usque mundi sit duratura, necesse est, ut eandem providentia sua rexerit semper, atque nunc regat. In lege autem nature eadem, qua revelatam religionem docendo ecclesiam fundaverat providentia, eandem conservavit & rexit. Nam quæ credenda, quæque agenda hominibus essent, ut recta fide ac puro cultu viam salutis homines sequirentur, vel per se ipsum visibiliter apparerent, vel per Angelos, quos sui administratos adhiberent, vel per homines spiritu prophetico, ac divinæ legationis characteribus donatos, demonstravit. Iis enim modis supernam religionem Deus hominibus revelavit, eosque in illam vocavit societatem, quæ ecclesia dicitur; ut de revelationis necessitate, adversus Deistas disputaturi fusius disseremus. Quis vero ignorat, hac Deum ratione ecclesiam rexisse suam in statu legis nature? Ab Adam enim ad Moysen usque, vix unam percurrere est generationem, in qua Deus Patriarchis non apparuerit, aut caelestes suos administratos Angelos ad eosdem non miserit, ut legenti Genesios librum manifestum est. Plures deinde fuere viri spiritu prophetico insigniti, atque ea morum probitate, iisque signis muniti, quibus divinam suam legationem populo demonstrarent. Vivo enim adhuc Adamo, prophetavit Enoch, qui divinitus raptus fuit ne videret mortem; propheta quoque fuit Noehem, atque usualis mitam, eundem habuere spiritum Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus. Quorsum vero Deus Patriarchis illis apparuit, Angelos ad eosdem misit, ac Prophetarum ad homines legatione usus est, nisi ut in ecclesia sua fidem, quam necessariam demonstraverat in futurum Repara-

